

# **Universitätsbibliothek Wuppertal**

## **Plvtarchi Chaeronensis Moralia, Qvae Vsvrpantvr**

Svnt Avtem Omnis elegantis doctrinæ Penvs : Id est, varij libri: morales, historici, physici, mathematici, denique ad politiorem litteraturam pertinentes & humanitatem : omnes de Graeca in Latinam linguam transscripti summo labore, cura, ac fide

Plvtarchi Chaeronensis Ethicorum Sive Moralium

**Plutarchus**

**Impressum Francofor. ad Mœn., M.D.LXXXII**

Virtutem doceri posse

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-351](http://urn:nbn:de:hbz:468-1-351)

**PLUTARCHI, VIRTUTEM DOCE-  
RI POSSE.**

**D**E virtutē consultamus ac disputamus, docerine possit prudentia, iusticia, vitæ rectitudo. Ergo rhetorum præclara opera, & gubernatorum, & architectorum, & rusticorum admiramur; (sunt enim sexcenta) viri autem boni nominantur tantum eo pæsto, quo hippocentauri, gigantes, & cyclopes: opus autem reprehensioni non obnoxium virtutis atque sincerum nullum est, neque mores malarum perturbationum vacui? sed si quid sponte sua natura producit boni, id multo alieno obsecratur, tanquam fructus sylvestri & immunda permixtus materia: Fidibus canere discunt homines, & saltare, & legere litteras, & agros colere, & equitare: calceis se & vestibus induere discunt, vinum infundere, cibos parare: atque haec omnia nisi discantur, recte non fiunt. bene autem vivere, cuius rei gratia isthac sunt omnia; disciplina, ratione atq; arte caret, & fortuitum est, o mortales? Cur virtutem non doceri dum affirmamus, virtutem esse ullam negamus? Si enim discendo ea nascitur, qui disciēam vetat, is ne existat ea impedit. Atqui, vt est apud Platoneim, ob pedis ad lyram inconcinnitatēm neq; frater fratti bellum facit, neque amicus cum amico litigat, neque ciuitates ciuitatibus orta contentionē extrema mala viciissim inferunt. neque seditionem ortam dicere possis in ciuitate propter accentum, & quomodo pronuncianandum sit Telchines: neque in familia iugum inter maritum & vxorem de stamine aut subtegmine. Et tamen telam, librum, aut lyram non tractabit qui non didicit, quanquam nullum inde magnum datum accepturus: sed ridiculus fieri veretur nam, vt Heracle tus ait, præstat insciā celare. Domum autem, coniugium, temp̄ publicam, magistratum putat recte tractari\* Pueri obsoniis edēdis dediti pædagogo Diogenes pugnum in- cussit, recte non ei qui non didicissem, sed qui non docuis- set, culpam imputans. Iam participare patinam aut cali- cem dextre non potest qui non statim à puero didicerit, vt Aristophanes ait,

*Non obsonia, non turdos auere, non pedes  
Alternos ponere: --*

*Nebulis*

*fami-*

familiae autem, ciuitatis, coniugij, virte, magistratus societas initii inculpata potest ab his, qui non didicerunt quomodo se inuicem gerere homines debeant? Aristippus interrogatus a quodam, Ergo ubiq; tu es? ridens, Nonne, inquit, ego naulum perdo, si ubique sum? Cur ergo non ipse quoque dicas, si homines discendo non sunt meliores, perit merces paedagogis data? Hi enim primum accipientes ab ipso lacte puerum, sicut nutrices corpus manibus formant, ita ipsi animalium singunt, consuetudine ad prima virtutis vestigia adducentes. Et Laco interrogatus quid utilitatis adfertet pueris quos instituebat: Facio, respondit, ut honesta eis sicut suauia. Atq; ipsi paedagogi docent in via ambulare capite demisslo, uno digito saltamentum, duobus tangere pisces, panem, carnem, sic scabere, sic vestem gere. Quid, dicens vitiliginis esse & rediuia medicinam, non esse pleuritidis, febris, phrenitidis, differtne ab eo qui rerum puerilium affirmet recte scholas esse, doctrinam, pracepta, magnarum & perfectarum usum rationis expertem atque fortuitam? Sicut enim ridiculus est qui remum agitari ait ab eo qui didicerit, ita qui aliarum artium disciplinam ponens, virtutis tollens, contrarium videtur eius face re quod Scythae solent. Hi enim, vt Herodotus ait, seruis oculos seruunt, vt ipsi assistant. hic ancillis & inseruentibus artibus rationem veluti oculum tribuens, virtutem eum admittit. Atqui Iphicrates Imperator Calliae Chabriæ F. interroganti, Quid es, sagittarius, cetratus, eques, grauis armaturæ miles? nihil, inquit, horum, sed qui his omnibus præcipio. Ridiculus proinde sit, qui dicat artem sagittandi, armæ tractandi, funda iaciendi, equitandi posse doceri, ducenti exercitus rationem esse fortuitam. Nonne magis etiam ridiculus ille, qui solam prudentiam doceri posse neget, sine qua reliquarum artium usus est nullus, nullum emolumentum. Quod si ea princeps est, ornatusque et ordinatio administrantium?

*Initio Mel pom.*

PLV

re quod Scythæ solent. Hi enim, vt Herodotus ait, seruis oculos seruunt, vt ipsi assistant. hic ancillis & inseruentibus artibus rationem veluti oculum tribuens, virtutem eum admittit. Atqui Iphicrates Imperator Calliae Chabriæ F. interroganti, Quid es, sagittarius, cetratus, eques, grauis armaturæ miles? nihil, inquit, horum, sed qui his omnibus præcipio. Ridiculus proinde sit, qui dicat artem sagittandi, armæ tractandi, funda iaciendi, equitandi posse doceri, ducenti exercitus rationem esse fortuitam. Nonne magis etiam ridiculus ille, qui solam prudentiam doceri posse neget, sine qua reliquarum artium usus est nullus, nullum emolumentum. Quod si ea princeps est, ornatusque et ordinatio administrantium?